

Dissertatio

Sistens

*Theoriam Mentis Humanae
Revelatione Excultæ,*

Cujus

Partem III.

Philosophicam,

Consens. Ampl. Facult. Philos. Aboëns.

Publico examini modeste offerunt

JACOBUS BONSDORFF,

S. S. Theol. Licentiat. & Adjunct. Ordin.

Et

JOHANNES GOTTLIEB LEOPOLD,

Wiburgensis.

In Audit. Maj. die XIX. Dec. A. MDCCXCIII.

H. A. M. S.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

Viro Spectatissimo & Consultissimo
Dom. GUIELMO LEOPOLD

Judici Territoriali Vigilantissimo,
Patruo Propensissimo.

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo
D:o Mag. CAROLO FRIDER. LEOPOLD
Vicario Pastori & Capellano Ecclesiae Ithis Meritissimo
Parenti Indulgentissimo,

*Hasce pagellas speciminis Academici loco editas, in tesseram
gratis animi, quo vestra prosequitur beneficia longe ma-
xima, dicare debuit*

Amabilium Vestrorum Nominum

cultor & filius observantissimus

JOHANNES GOTLIEB LEOPOLD.

§. IX.

Ex iis, quæ antea §. IV. VI. differuimus, facile dijudicanda erit quæstio de finibus Religionis & Philosophiæ Moralis. Quemadmodum vero sole clarius est, scientiarum quarumcunque limites, non quidem ex sua natura, sed pro nostro concipiendi modo, necessarios esse, (omnes enim perpetuo velut vinculo invicem concatenatæ sunt scientiæ); ita quoque Religionis & Philos. limites non propterea ponendos esse liquet, quasi contraria sint earum principia, sed ut melius dignosci possit, quomodo utraque in humanam agat mentem. Quod si ad felicitatem veram sola experientia propria & ratiocinatione ducere pervenire possemus, superfluum quoque esset de alio cognoscendi principio disserere. Jam vero cum mentis natura, licet incredibilis sit capax incrementi, propriis tamen longius adspirare nequeat viribus, consequitur, duplicem esse in ipsa Philosophiâ & Religione naturali fontem cognitionis, finesque adeo rationis & revelationis arte admodum coherere a). Quale autem discrimen sit Christianæ doctrinæ & Philos. revelatione ingeniter adauctæ, facile est ad intelligendum. Fontem nimirum eundem fere utraque agnoscit; Christiana tamen religio uberiolem. Atque cum Theologia, quemadmodum tractari & debeat & soleat, non modo supernaturales veritates verum etiam naturales illas contineat b);

I

juxta

a) Cfr. JOCHIM *liber Rel. JERUS. Betrakt. P. II. C. I.*

b) "whatever might be the operation of trye deism on the minds of pagan philosophers, that can now avail us nothing, for that light, which once lightened the gentiles, is now absorbed in the brighter illumination of the gospel; we can now form no rational system of deism, but what must be borrowed from that source, and therefore if we will not accept of christianity, we can have no Reli-

juxta atque tam Scripturæ Sacræ testimoniis, quam rationibus philosophicis occupetur, adeo ut dici possit sufficientissima & indubia Dei de felicitate nostra præceptio, experientia comprobata; manifestum ergo erit, limites Theologiæ & naturalis morum doctrinæ definiiri rite ex veritatum numero, indole, certitudine ac tractandi modo. Quod enim Philosophia ex animi natura & universa experientia desumit, in immensum Christiana doctrina & rerum & argumentorum pondere, evidentia ac auctoritate auget. Unde patet quam inepte illi agunt Philosophi, qui aut veritates mutuando e Christiana religione ad Philosophica sua probanda ac deducenda momenta, tamen non sunt satis verecundi ad agnoscendum fontem suum, & cum Deistis pronunciant, revelationem nihil addidisse nec addere potuisse religioni naturali, aut alia cum HELVETIO cet. in ratiociniis suis de ratione humanum excolendi genus, adstruunt principia, Divino inimica arbitrio c). Quod si religio non rogetur opem & instar fundamenti habeatur, accidet idem quod cum acutissimis jamdiu factum est ingeniis, ut sensim excutiant Numinis sensum, mutam vero naturam in ejus substituant locum, educationem & leguminationem omnem plus ad civi-

gion at all" JENYNS *View of Int. Ev.* p. 109. GELLERT *Moral. Vorl.* IV. Rite ergo ISELIN in *Gesch. d. Menschheit* P. II. p. 265. "Sie (die Christl. Rel.) fasste allès grosse und alles erhabene in sich, welches in allen übrigen Rel. zerstreuet ist, und sie war durch keine von den Ungereintheiten beflecket, welche dieselben entehren.

e) §. V. VI. "because what we see, we see with our own eyes, we are apt to overlook or forget the help we had from others, who shewed us us, and first made us see it, as if we were not at all beholden to them for those truths, they opened the way to, and lead us into" LOCKE c. 1,

civilia ac fluxa, quam moralia Divinaque figant præcepta. Continget tandem, ut easdem recoquant inanes logomachias, quæ quondam in Hellade & Latio, Philosophorum de Deo, animi natura, virtutis indole, summo bono, immortalitate disputantium distraxerunt studia. Absurda autem est quorundam ex recentiori ævo Philosophorum ethnicomania, & pertinacia in conquirendis atque recoquendis antiquorum stultissimis placitis, ubi cernant quidquam eo ipso revelationi Divinæ derogari posse auctoritatis. Græcorum & Romanorum referantes scriptura, sublimem eorum collaudant sapientiam, Divinam ingenii profani in administrandis civitatibus teneraque ætate instituenda extollunt vim, libertatem sentiendi hinc unice derivari gloriantur, atque religione saniore remota, felicitatem summam humano generi pandere student, probe non pensitantes in quanta devia Gentilium sæpe deflexerit Philosophia, quantosque ubi secum traxerit maxime deplorandos. Hinc fit, ut quas antiquitas dudum sacraverit insulas de fato tanquam numine, fortuna, innumerisque Divinitatis particulis opiniones, sanior vero profligaverit religio, inaniter repetant, publica delubra, aras cultumque religiosum humanis portentis resignando, Deorum omnem in festis celebrioribus revocando memoriam, apparatus, honorem, turpissimisque aperiundo libidinibus & incestibus latisimam portam atque licentiam; Hinc veræ philosophiæ laus foedisime commutata; Hinc factum est, ut insanam hypothesin de animarum post mortem per diversa corpora transmigrationsibus & metempsychosi, ex Gentilismo mutuati sint quidam, quasi id demum esset, immortalitatis statum feliciter adumbrare. In quibus omnibus, quis non videt iniquissimum esse philosophici nominis abusum infandamque insaniam, antiquorum gentilium errores de novo restitu-



endi, Divinae vero religionis spernendi felicissimum si-
dus, huic non minus vitae praesenti, quam aeternae diri-
gendae profuturum. Omnia autem e Divinis oraculis ex-
plicata, nihil habebunt quod tantopere sollicitabit; ut in
sequi, vincemus.

§. X.

Primum in omni & Philosophia & Religione rite
tractanda, ac ad veram mentis culturam adcommo-
danda, id omnino judicabimus, ut cognoscamus qualis sit mo-
ralis nostra natura, & quam e causa s. fonte morales
nostrae actiones derivari aut profluere debeant. Quae qui-
dem disputatio multis animorum dissensibus diu agitata,
semper tamen ipsa experientia dirempta fuit. Nostrarum
non est virium nec nostri consilii, Philosophorum diversis-
simorum circa hanc rem examinare placita. Id tantum
monebimus, optime litem universam posse sedari, si
1) vera naturae nostrae pandatur indoles, adeoque idearum
nostrarum moralium origo aut fundamentum explicetur,
2) minus acute in analysi condenda minusque coacte in
eadem explicanda versetur, historiam autem & experi-
entiam rite indagemus; 3) si religionem & Divinam in-
stitutionem frustra non a conspectu removeamus sed de-
bitas eidem adsignemus partes. Tribus in hisce momen-
tis omnem quaeri deberi causam dissensus, nemini ob-
scurum est. Inde enim quod multi ex sensationibus ex-
ternis, non modo omnem instrui ac oriri facultatum sub-
tiliorum apparatus, verum has ipsas tantum modifica-
tiones esse sensationis externae censerent; quod indigen-
tias physicas prima velut flamina esse moralitatis, menti
autem ipsi non inesse nobiliorem quandam vim aut sen-
sum, docerent; omnes porro ideas morales, legis scili-
cet,

cet, conscientiæ, obligationis, virtutis & Religionis, a
 necessitatibus physicis, non vero ab alia constantiori ra-
 tione, Legislatoris nimirum, deducerent, adeoque etiam
 propriam utilitatem ultimum consilium & proprium, u-
 nicum, verum virtutum omnium haberent motivum;
 hinc inquam factum est, ut adeo vacillans & ab experi-
 entia remotum sit sæpe adoptatum fundamentum *a*). At-
 que ut fateamur, valde subtilem esse & ingeniosam hanc
 ratiocinandi rationem, multis tamen eandem & graviori-
 bus premi difficultatibus, perspicuum esse putamus. Ete-
 nim *α*) Confunduntur in illa methodo res diversissimæ.
 Historia quippe hominis certe probat, indigentias phy-
 cas primas fuisse & fere præcipuas, quæ rudem occupa-
 bant mentem, eique dederunt occasionem semet expli-
 candi; at vero ex his necessario pendere omnem legis
 naturalis & virtutis ideam, nulla historia nec hominis na-
 tura adhuc evicit. Absit quoque *β*) ut physicas nostras
 facultates, h. e. externas sensationes, plane cum intelle-
 ctu & internis animi dotibus commisceamus, licet certis-
 simum sit, has ope illarum primo evolvi; quod acutis-
 sime dudum probavit LOCKE (*de Intellectu humano*); neque
 enim corporis & animi naturam eandem pronuntiabi-
 mus esse. Cum enim facultates omnes morales ortum
 suum ab externa sensatione ducere, adeo ut non sint
 nisi modificationes hujus, quemadmodum harmonia &
 Analogia tænorum s. chordarum in Musica, (quo scilicet
 exemplo ipsi utuntur) statuunt, quis non videt inaniter
 ludi in vocabulis: modificatio &c. quemadmodum non
 retro abhinc temporibus multi in nominibus sympathiæ,
 spatii vacui e. s. p. lusere, & in philosophia adhuc sub
 variis terminis de nihilo interdum agi soleat? *γ*) Virtu-
 tis ideam in fortitudine & physica vi sitam primitus fuis-
 se ponunt, qui nimis analysi indulgent; At præterquam
quod

a) Cf. HELVET, *de l'Esprit*.

quod non unica hæc fuerit virtutis notio apud antiquas gentes obvia, sed pietatem in Deos, justitiam, beneficentiam longe antiquiorem, saltem coævam sibi habuerit, vera sane non censebatur hæc ipsa virtus, nisi justitia, pietate & æquitate fuerit superstructa. Et sane si ipsa historia & experientiam consulere liceat, ut fas est, satis vindicare possumus, sensum numinis & dependentiam ab illo, ultimum esse actionum & virtutis fundamentum. Omnes enim sapientiores Græci dudum statuerunt uno quasi ore, omnis sapientiæ, σοφίας h. e. veræ virtutis initium esse pietatem. Ita quidem unus Græciæ sapientium Salomoni plane concinens. Ipsa Poëtarum carmina ἀπὸ θεῶν incipiunt, gratam scilicet memoriam Divino Numini, facultatum omnium ac beneficiorum Auctori, consecratura. ARATUS pie cecinit: ἐν θεῶν ἔσμεν, κινεμεθα καὶ ζῶμεν, palam indicans, Deo quascunque vires humanas esse referendas. Ad hunc ingenerandum sensum, omnes leges & Philosophia antiquior erant comparatæ, (cfr. §. VI.) adeo ut ex eo tanquam fonte omnia derivarent officia & principes & saniores quilibet. Itaque apud Homerum cernere licet Agamemnonem omnibus in negotiis Dei reverentem, pium, justum ac mitem. Hinc quoque ceteros heroes sensu Jovis supremi tactos, non suam tantum vagam utilitatem, sed immortalem Deorum honorem, approbationem, summum illud ad grandiora facinora incitamentum, quæsiisse; Hinc plebem ipsam haud irreligiosam fuisse, constat. Huc spectat Philosophia illa de cælo velut delata eximii Philosophi, de quo XENOPHON (*memorab. Socrat. p. 12.*) ingenue testatur: Σακρατίας δὲ πάντα μὲν ἤγειτο θεῶν εἶδεναι, τὰ δὲ λεγόμενα καὶ πράττομενα, πάνταχε δὲ παρῆναι καὶ σημαίνει τοῖς ἀνθρώποις, & alibi sapius: θεῶν θεράπευε. Atque ipse de se confidenter dicit Socrates, cum ad alias properaret beatiores sedes, se

se certum esse, quod per omnem vitam operam dederit placere Deo. Similiter quoque omnes reliqui saniores Gentilium, Cicero, Marcus Aurelius, monent, omnia quæcunque in facultatibus colendis ac exercendis prospere contingant, ad exempla, ope & auxilio Deorum suscipienda esse; unde facile est iudicatu, quam intentionem & basin moralium actionum statuerint *b*; Quod cum Gentiles Philosophi peripexerint, mirum est, hodiernos non intellexisse. Immo apud minus excultas gentes, sensus fuit Numinis, qui ad honesta quævis incitaret & veram felicitatis notionem figeret *c*.

d) Monendum est, subtilem magis quam veram esse analysin iustitiæ & beneficentiæ, quam translationis ope adornant. Ea ipsa probat, diversam esse aliorum ad nos relationem, quæ fundamenti instar in officiis nostris socialibus habebitur. Etenim non nobismetipsis vivimus, sed aliis ea debemus concedere jura, quæ ipsis concessit naturæ auctor. Et quum ex nostri amoris sensu, aliorum fingere sensus per translationem docemur, manifestum est, eundem illum nisum aliis consulendi, diversum esse a proprii amoris studio, quod etiam ex collisione proprii & alterius amore intelligitur. Nec ratio est, cur ab æqualitate omnium hominum naturali, æquo jure socialia nostra officia pariter ac jura non possint derivari. **Idem**

b) Egregie ADDISON in *Spectator*, Vol. III. p. 176. "a person with good intention enters upon no single circumstance of life, without considering it as well pleasing to the great author of his being, conformable to the dictates of reason, suitable to human nature in general, or to that particular station, which providence has placed him - - He lives in a perpetual sense of the divine presence."

c) Cfr. CRANZ de *Grönlandis*, & OLDENDORF de *Negrorum religione* (Sv. Ed. p. 301. sq.) ubi testatur, Negros suam quotidie ostendere pietatem precibus, sacrificiis, hymnis,

dem enim amor, qui proprio cujuslibet infidet animo, aliorum quoque inest pectoribus; & quia eundem omnibus ingeneravit felicitatis sensum sapientissimus naturæ Auctor, indicatum certe voluit, salutem aliorum non dimetiendam esse ex commodo quod nobis semper inde profluat, sed ex eorum in sua promovenda commoda ferente æquali nisu. Conjunxit vero tam arcto vinculo omnium hominum invicem salutem benignissimus Creator, ut nobismetipsis non rite possumus prodesse, nisi æqualitatem sancte colamus. Atque quot non incidunt sæpe tempora, quibus propriis nostris jubemur renuntiare desideriis, aliorum augendæ aut restituendæ felicitatis causa, atque in quibus honestas cum utilitate pugnare videtur. In extrema constitutis inopia atque miseria, amicis, liberis & omnibus qui tutela aliorum opus habent, immo ingratis, beneficia conferenda sunt propterea, quod ad salutem æqualiter sint nati, immo in ipso casu necessitatis eam violento modo possint extorquere, saltem jus habeant; Qui enim rerum omnium & bonorum fines s. consilia, ipsamque experientiam attentius perlustraverit, multiplicem inveniet viam, qua humanitatis officia, imperfecta licet appellentur, re ipsa tamen longe perfectissimi juris evadant. Unde sequitur, aliorum sæpe habendam esse rationem cum neglectu nostri ipsius, adeoque societatis officia non ex amore proprio, sed ex societatis jure & universa æqualitate definiri. Similiter ideam Dei e societate & utilitate natam & translata dicunt, quod quam absurdum sit, non opus ut longius deferatur. Quod vero ipsa hac utilitate prius & stabilius quoddam fundamentum in morali nostra natura & Religione quærendum sit, ipsa res edocet. Æternam enim & infallibilem a Deo in humano dirigendo genere perspicimus constitutam legem naturalem, quæ ad universam

fam omnium tendit felicitatem; immotam esse videmus victurum quarumlibet, pietatis, iustitiæ, temperantiæ naturam, non ab unius tantum sed totius generis humani commodo metiendam, atque a Divinis summis perfectionibus derivandam; Perpetuum est boni & mali, iusti & iniusti discrimen, & quidem adeo evidens, ut nemo unquam ianus, licet vel maxime barbarus, id negare valeat. Qui idem suam si consideraverit naturam, liberam eandem sentiet nec necessariam, sed optimi Legislatoris beneficio adscribendam, variis instructam desiderii & instinctibus, non modo physicis s. naturalibus, e corporis mechanismo pendentibus, sed multo quoque nobilioribus & internis, h. e. sensibus moralibus, quibus tam ad Numen agnoscendum, quam bonum & malum discernendum, atque commiserationem in alios fovendam impellimur. Quem sensum moralem licet multi acriter impugnarint, eleganter tamen probarunt HUTCHESON *Philos. Moral. P. I.* GELLERT *Moral. Vorl. II.* & JERUS. *Betr. P. I. c. 7.* quorum argumenta non expendere vacat. Sufficit pro hac demonstranda veritate, ad experientiam provocare, quæ hos sensus morales non quidem connatos, sed naturæ nostræ valde familiares esse testatur, sensimque nobis sub ratiocinandi actu se insinuantes. Quod si igitur his præclaris ornati simus viribus, sequitur, ultimum moralium idearum fontem non esse proprii nostri amoris studium, sed ab hoc nos ascendere debere ad naturam nostram moralem, quæ pendet a Divina sapienti dispositione & ratione, cui omnis nostra & aliorum felicitas & utilitas tota quanta debetur accepta d).

K

Colli-

d) Cf. ADDISON *Spectator Vol. V. p. 143.* (Ed. X.) "It is our natural weakness to flatter ourselves into a belief but however spirits of Superficial greatness, may disdain at first sight to do any thing, but from a noble impuls in themselves, without any future regards in this

Colligimus jam ex allatis, necessarium esse in vera stabilienda & idearum & actionum moralium ratione, ut naturæ nostræ conveniens definiatur fundamentum Quod quidem Religione duce quam felicissime fiet. Etenim ut ipsa docet, nos totos pendere a Deo summo legislatore, ita quoque ad Ejus beneplacitum & piam memoriam, omnes nostras actiones componi sciscit, ut ex ipsa Cœcilium experientia dudum evicimus. Quomodo autem in hoc versetur momento Christiana doctrina, nemini non notum. Tria enim palmaria principia characterem constituunt veri Christiani: amor in Deum pietasque sincerissima; amor in proximum, unde commune justitiæ & beneficentiæ studium; & amor proprius, unde moderamen & directio cupiditatum & desideriorum nostrorum omnium derivatur. Pietas vero omnium est quasi primum, summum & efficacissimum; nisi forte quis absurde ad superstitionem, aut saltem ad postremas relegare hanc virtutem curas gestierit, quemadmodum multi Epicuræ addicti philosophiæ jamjam fecere, cum utilitatem pro-

or another being; upon stricter enquiry they will find, to act worthily and expect to be rewarded only in another world, is as heroic a pitch of virtue as human nature can arrive at. If the tenour of our actions have any other motive, than the desire to be pleasing in the eye of Deity, it will necessarily follow, that we must be more than man.” Quibus concinit SPALDING *über Nutzbarkeit d. Pred. Amt. p. 50. “Religion ist tugend um gottes willen, rechtschaffene gesinnung und rechtschaffene verhaltung aus der erkenntnis unserer abhängigkeit von Gott, seiner Regierung, seiner wolthaten und seiner vergeltung. p. 52. “Die gedanken von Gottheit, sagt man, mögen allenfalls gut zu den bejussungen einer platonischen andacht, zu hohen und angenehmen flugen der frommen phantasia seyn, aber sie wirken nichts in den thaten des unterthanen, des burgers, des ehgatten, des vaters, des nachbarn: es wäre sonderbar, dass sie darinn nichts wirken sollten, so bald man sich an den sumpeln erkänntissen hält. Ich handele unter seinen augen, ich lebe von seinen wolthaten, ich erfülle seine abjchten.”*

propriam statuerent esse omnium virtutum nobilissimum incitamentum. Superest ut disquiratur, utrum diversum statuendum sit principium in Philosophia morali & Religione. Quasi vero natura hominis moralis diversa sit, si in societate aut naturali statu & Christiano spectetur. Qualis autem homo natura sua est, talis ad societatem fertur. Jam vero Religio necessariam habet cum humana natura connexionem, & ut ADDISONII verbis utamur, *cheers as well as composes the soul*; adeoque etiam civile vinculum efficit. Quam itaque preposterum est, civem aliis educare velle artibus, quam religiosum hominem & Christianum! Sed de his plura ad §. XIV.

§. XI.

Magni omnino momenti esse in mentis humanae explicanda perfectione, originem ejus, naturam & immortalitatem certo sibi persuadere posse, quis est qui dubitat? Quo enim spectaret totius hujus mundi sapientissimus ordo? in quem verteretur inexplicabilem plane ac perpetuum gyrum animus ipse humanus! quanta deesset praesenti huic vitae beandae materies, nisi facultas seipsum ex hac nobilissima parte cognoscendi competeret! Primam & palmariam in Philosophia tradenda regulam jam pronuntiavit unus Graecorum sapientium, *nosce teipsum*, magnamque merito salutant hanc Sui scientiam hodierni Philosophi, nulla ferme cum haesitatione egregie docentes, a Deo oriundum illucve redeundum esse caeleste Ejus donum, animum. Quo autem rueret elegans haecce doctrina, nisi Divina revelatione niteretur? Horrenda illa primo cogitemus phantasmata Graecorum de origine nostri ipsius. Fuerunt nempe, qui Pythagora duce, mundum aeternum, adeoque humanum genus temper fuisse

sonnarunt; alii sive crassius sive subtilius emanationem omnium rerum a Deo, animos & alios spiritus, utpote scintillulas Divini ignis aut Divinas particulas, e Divina essentia ortum duxisse fixerunt; unde Deum in tot discerpi partes consequeretur, ac diversi sint spirituum ordines; alii demum fortuito atomorum concurrentium facto, negata numinis opera, inepte ortum generis humani adscripserunt, & quæ sunt reliqua ingenii ludicra figmenta, Deo non minus indigna, quam sanæ rationi inimica. Unde tantam antiqui orbis discrepantiam & difficultatem derivabis, nisi ex defectu purioris & uberioris lucis, quam ex revelatione perceperant Judæi? Nec concipi potest, cur simplicissima hæc veritas de animi origine s. creatione, de qua nemo sanus amplius dubitare poterit, quamque Mosaicus scriptor antiquus aperte indicat in historia creationis, (licet emblematicè & anthropopathice sistat Deum, spiritum vitalem primis hominibus inspirasse) a) per Græcorum tamen tam misere torqueretur disputationes, si mens ipsa eam cito adeo & luculenter assequi potuisset. Manet vero jam fixum, non modo primos homines spiritualem suam naturam Dei beneficio & voluntati acceptam retulisse, verum etiam totum humanum genus indes mirabili Divinæ providentiæ ratione per naturalem generationem sustentari atque propagari. Longius vero sapere, subtiliusque indagare velle ortum animarum, inter vanissimos & infrugiferos merito Psychologorum refertur labores. Quare satius esse duxerunt prudentiores, aut omnino ex hac difficillima abstinere materie, aut, si vel maxime probabiliorem elegerint

a) Absque Fragmentistæ ut & aliorum conjectura, non potest non heic memoriæ subire; verba enim temere premendo & tropicis loquendi formulas torquendo, licentius pronunciant, Hebræos credidisse, animum alius non esse indolis ac corpoream materiam.

rint hypothefin Traducianorum ſi influxus phyfici, (quem admodum appellare mos eſt), non tamen inde remove-
re ſapientiſſimi Numinis ideam atque gubernationem,
qua vires non modo corporeæ verum etiam ſpirituales
moveri incipiunt ac continuo diriguntur: (cfr. § II.)
Deum enim vitam nobis, per mediatas quamvis cauſas,
largiri, animarum & ſpirituum Auctorem eſſe, lucidiſſi-
ma certe eſt, religionis ope inculcata veritas, cui acquie-
ſcere tuto licebit, nec philoſopho indignum unquam erit
putandum. Diſcant proinde qui ex recentioribus met-
emplychoſi favere inceperint, in quam tortuoſas ſeſe
implicent vias, omniaque commiſceant, animarum origi-
nem non quidem æternam (ut Antiquiores), ſed gradati-
m ex brutorum innumeris varietatibus adſcendentem
ſomniantes, cui quoque conjecturæ omnis experientia,
leviſſima quamquam in hoc genere ſit, contrariatur.

Natura porro humani animi quo fonte ſit conſide-
randa, vel nobis tacentibus facile intelligi poterit, expe-
riencia nimirum & traditione ſacra; videndum vero, ne
quid nimis ex utraque arceſſamus & poſtulemus, multo
minus repugnantiam temere fingamus. Ad ſacram enim
revelationem qui referunt omnem facultatum noſtrarum
indolem, immaterialitatem, libertatem atque rationis &
affectuum uſum, aut eo conſilio ut infringant eorum om-
nium vim, aut inde explicatam deducant, non vident,
quam præpoſterum ſit, in ejuſmodi rebus, quæ mentis
ipſius perſpicaciæ & vulgari experientiæ Psychologicis con-
firmandæ argumentis patent & ad revelationem proprie
non pertinent, quemadmodum nec mundi ipſius mecha-
nici & Phyſicorum eventuum cauſæ illuc referendæ ſunt,
novam temere experere lucem, eamque variis phantaſiæ
interpretamentis Fanaticorum more conſecrare. Ex alte-
ra vero parte peccant, qui nihil hiftoriæ ſacræ tribuunt

fidei & auctoritatis, aut falso criminantur, eam sanæ rationis principiis contrariari, quam tamen sobrie intellecta summam vitæ humanæ suppeditet harmoniam. Atque cum duplex nobis pro duplici, qua pollemus natura, corporea & rationali, adsit actionum omnium principium, alterum ex sensuum fervore, alterum ex animi internis ratiociniis deriyandum, utrumque tamen arctissimo invicem connexum vinculo, utrumque primæva sua ex destinatione incorruptum & excellentissimum Dei donum; tantam tamen horum repugnantiam, vel collisionem sæpissime adesse experientia duce deprehendamus, ut relicto interni sensus dictamine, externos solos erumpere sinant homines, immensam sibi creantes & molestiam & lætæ conscientiæ reprehensionem; satis est ad intelligendum, magnam ex hac naturæ sensualis imperfectione & infirmitate laboriri difficultatem, multos scrupulos summamque sollicitudinem, & contra benignissimum Numen iniquissimas querelas. Hinc philosophos veterum anxie videmus ambegisse de fonte depravationis humanæ, quem nonnulli & necessitati & Deorum iræ tribuere, alii multo absurdius ad licentiam omnem ruere siverunt. Hinc non potuit non multum illius confidentiæ, quam in Deo jucunde ponere licet, quin etiam præcipuus ad pietatem colendam mentemque emendandam excitans stimulus sensum hebescere. Pandit vero historia sacra apertissime & comprobat, omnem scaturiginem infirmitatis humanæ, utpote ex sensualis naturæ infelici experimento, & abusu libertatis enaræ, omnem corruptam sensuum machinam, turbatam affectuum simplicitatem & emotionem, multisque insuper circumstantibus rebus, inde ab infantia auctam cupiditatum vehementiam, neutiquam Deo auctori nostro nec alii cuiquam principio, (ut Manichæis placuit) sed sensualitatis infelici experimento & liber-

tatis

tis abufui adfcribendam unice eſſe. Contra vero nativam
 innocuæ mentis ſvavitatem & primævum florem, Divi-
 no confilio ac moderamini debeti, eadem docet nos an-
 tiqua revelatio; cui quoque harmonica vi conſentit hiſto-
 ria hominis univerſa, & Paulus in diſputationibus ſuis
 contra gentiles aperte commonſtrat. Eſt autem hic ſpa-
 tioſior campus, quam ut vel celerrimo tranſcurſu eum
 pervagari poſſimus. Alius adhuc defectus, quo labora-
 vit cognitio veterum de mente humana, haud levis erat,
 incertitudo illa, qua hærebant perſpicaciſſimi illius ævi
 homines, ſitne animus corruptioni & deſtructioni obno-
 xius nec ne. Sperabant quidem immortalitatem, & hac
 tua ſpe felices quidem tuere; plenam vero fiduciam ca-
 pere nondum ſciverant, vel obſtante infirmitate audebant.
 Stoicorum quidem plerique & Academici in utramque
 partem propendebant, jam affirmando jam negando; qui
 vero conſtantius hanc veritatem tueri videbantur, inani-
 bus eam de anima mundi, quacum hominum animæ com-
 miſcerentur, obſcurabant commentis. Quam vero reno-
 vata eſt, clariffimæque luci reſtitura hujus veritatis for-
 ma hodierno avo! A quo fonte hæc provenit lux? Sic
 ergo acuti ſatis non fuere veteres, Socrates, Plato, Ci-
 cero, al. ut ad certitudinem & nitorem poſſent deducere,
 quod recentiorum temporum philoſophi nimis arrogan-
 ter ſibi vindicant. Conferatur ſermo Socratis de immor-
 talitate, quem Plato Dialogi inſtar edidit, cum emenda-
 to illo Phædone *Mendelſobnio*. In illo ſ. Socratico collo-
 quio, jucundiſſima licet regnet & incitatiffima ſpes per-
 ennaturæ felicitatis, dubiis tamen & anxiis quæſtionibus
 hæret multis. In hoc autem ſublimes eſt de immortali
 ac immateriali mentis natura diſquiſitio, certa regnat per-
 ſvaſio & ſupra ipſam mortem triumphans certitudo. Cu-
 jus ſane cauſam quærere decet in ſublimi doctrina,
quam

quam Sanctissimus Servator Suique legati vividiori Divini Numinis commoniti afflatu proposuerunt. Occalluerit mens necesse est, si gratisimo non veneretur pectore Providentiæ hunc modum, quo longe utilisissimam nobilissimamque partem theoriæ mentis humanæ excultam voluerit & auctam. Quamquam de cetero ex ipsa analogia naturæ, ex incitatisimo & inexplebili desiderio tam perfectionis quam felicitatis inde redundaturæ, ex præfenti demum hac omnium rerum fluxa conditione, tuto colligimus ad perennaturam vitam; ultra probabilitatem tamen hæc omnia philosophica argumenta evehi posse non videntur, nec tantam certitudinem ad animum nostrum in quibuscunque vitæ hujus eventibus tristioribus exhilarandum obrineret æternitatis idea, nisi divinam voluntatem immortam, certam ac verissimam patefactam nobis haberemus, & nisi multa adeo exstarent in Sacris pandectis specimina hanc rem extra omnem dubitandi metum positura. Anxiusne quis amplius in tanta luce palpabit, metam quo tendat æternitatis quæsiturus? Dubiane fide, tum simplicissimi Christiani tum quoque sagacissimi philosophi mens tenebitur amplius constricta, num vagabunda adhuc ratiociniorum invicem pugnantium certabit manu, aut in officiorum suorum campo emetiendo a scopo errabit, & vota & studia indefessa irrita tandem deploraturus? Hanc Divinæ bonitatis ac voluntatis irrevocabilis tesseram ab immortali nostro Servatore traditam, exemplo Ejus munitam sanctissimo, humanæque naturæ longe optatissimam, animo suo surreptam patietur quisquam mortalium? Atque sincere facti sunt cordatiores, ultimum & vere unicum, quo niti fides nostra de animi nostri futuro statu possit, fulcrum, esse Divinæ voluntatis apodicticum testimonium, ultra quem terminum adspirare non opus.

§. XII.

Quum ex ipsa hominis natura morali, ad dependentiam ejus a Summo Numine, & amorem quod illum complecti fas est, adscendere debeamus, veram felicitatis ideam, veramque actionum omnium indolem indagaturi; summe hinc necessarium esse perspicitur, ut veram de Deo formare indesque perficere notionem possimus; quæ quo purior ab imperfectis & præjudicatis opinionibus, quo clarior & supra humanos omnes terminos e-
 vecta sit, eo etiam accommodatior erit tam ad vitæ felicitatem quam mores formandos emendandosque. Proinde quoque hunc Numinis sensum omni studio, ex at-
 tenta naturæ totius consideratione, eruendum atque inculcandum docuerunt sapientiores quilibet; hanc veræ eruditionis censuerunt coronam, qua ornari humanum possit ingenium; huc vires suas & imaginum copiam contulere variam. Qualis jam apud veteres innotuerit ac vigerit opinio, de summo Numine, maxime imperfecta & fabulis circumvestita innumeris, pro istis quidem temporibus vix alia potuit esse, quum verior nondum affluerat lux, minime vero humanæ mentis theoriæ debitam reddere valuit dignitatem nec perspicuitatem, sed vacillantem eam summo opere effecit. Qui ergo factum fuisset, ut firmo nunc niteretur fundamento, nisi auxiliares manus Divina suppeditasset institutio, quam etiam tanto avidius arripuit & in succum sibi vertit philosophia, quanto vividius mox perceperat eam humanæ naturæ optime congruere? Quas ergo veritates naturalis religio menti instillat, eæ vero certitudinem & perspicuitatem, ope Divinæ per Christum imprimis impertitæ instructionis, nactæ sunt summam. Quis jam Christianismi tenerrimo fatus gremio, si vel maxime rudioris sit plebeculæ, tantisper de

Summi Creatoris hærebit *existentia*, virtutibus longe perfectissimis, unitate ac in univ^{er}sum orbem indiviso imperio? Quis Deum providentissimum omnium bonorum distributorem, virium ac facultatum sustentatorem ac directorem, non agnoscat, simulac data uberrima occasione mundi perlustraverit præstantissimam oconomiam & ad semetipsum attenderit? Quis vel maxime stupidus homo pronus non erit ignorantia & errorum profanorum abjicere vela, oculisque apertis Dei majestatem, verbo suo relectam, revereri ac pro imbecillitate suarum virium quodammodo complecti? Acutissimus ipse philosophus, totum naturæ fere percurrens ambitum, abditos ejusdem scrutaturus recessus, denuone ad Divina non recurret lætus testimonia, quibus, instar sigilli, veritatem hanc saluberrimam confirmabit? Utilissimum igitur immo saluberrimum esse humanæ menti, Dei ipsius fidere & acquiescere institutioni in ejusmodi quoque rebus, quæ per vulgarem ratiociniorum modum innotescere possunt, tot dudum evicit seculorum, tot philosophorum experientia, qui omnes non ab ingenii virtute solummodo, sed quam maxime a Divina benignitate ultimam, Deum rite cognoscendi ac colendi copiam derivarunt. Fac etiam, ingenii nervos in totam intendi posse mundi & scientiarum compagem, Dei cognoscendi causa, nihilo tamen minus in immensa ac infinita hac scientia conquiritenda, defatigabitur tandem ac hebescet acies mentis, adeo ut, cum ad certitudinem quandam perducta crederetur, vacillaret tamen & incerta fere erraret. Sic ubi per vasta immensi maris itinera serenissimo sub æthere pervolat nauta, amoenissimum pervestigaturus tutissimamque portum, huc illuc haud raro oberrans, jam scopulos maris offendet, jam procellis jactabitur ingruentibus, jam denique in ultimo vitæ discrimine versabitur; si forte tamen

sco-

scopum e longinquo viderit, novas sibi addens vires cursum quam citissime huc tendet, requiem defatigatæ mentis captans jucundissimam. Veracitas Divina hominibus patefacta, ultimus est ille portus ad quem tendimus post tot jactatæ mentis anfractus. Hoc animis obversante scopo, haud est metuendum, ne ad falsa atque inania declinet ratio, quin potius argumenta ipsa philosophica ad verum suum splendorem, certitudinemque suam referantur. Pro eo enim quo utimur fundamento, aut ruit aut stabilis permanet idea Dei. Quod si adhuc præcipua delibare vacaret argumenta, quibus in religione naturali utimur ad demonstrandam Dei existentiam, Majestatemque, ductis quippe ex universa hujus mundi œconomia, contingentia, ordine & analogia propriæ nostræ experientiæ; extra omnem mox dubitationis aleam positum erit, totum hunc apparatus, tantum non omnem certitudinem apodicticam ex benignissimo Dei testimonio fortiri, adeoque internam horum ratiociniorum evidentiam non tantam, saltem apud plerosque homines esse, ut externa suffulciri non debeat Divinorum miraculorum auctoritate. Quum porro Deus invisibilis & longe supra nostros sensus elatus, nunquam a nobis plene & perfecte sed analogice tantum atque symbolice possit cognosci; quum mens ipsa sibi velut deficere sapius cogatur; tum vero piam fateri ignorantiam, ac temeritatis reprimere stimulos aliunde non discimus, quam ex revelatione. Juvabit tum maxime sublimem sapientiæ Divinæ imaginem, quam depingunt Sacri Vates & Apostoli, cum imbecilla nostra scientia collatam placida recolere mente. Hinc Divinarum perfectionum, providentiæ atque gubernationis conspectum juvabit formare, atque quam inoffenso pede per tot, quibus premimur ac circumdati in hac vita sumus, adversitates, mala & imperfectiones percurrere

ſicebit vitæ ſtadium, quum certum ſit, Patrem ad eſſe nobis præſentem, qui felicitatem noſtram his non tam circumſcripſit, quam munire & promovere continue ſatagit malorum terminis, longe perfectiorem nobis reſervans in beata immortalitate bonorum ſegetem. Malorum hanc originem & ſapientem adminiſtrationem, ex uberriſimo Scripturæ Sacræ fonte eſſe hauriendam, nemo temerarius adeo erit, qui fide non amplectatur, hancve unicam & ſufficientiſſimam rei difficiliſſimæ explicationem adoptet. Fuerunt enim hæc veritates, de origine mali phyſici, ut quoque de prima conſtitutione mundi, humani generis ac depravationis ortu, Antiquis admodum obſcuræ immo in perverſiſſimum tractæ errorem. Non amplius vero obſtant hi, de anima mundi, de duobus principiis, fati neceſſitate atque emanationibus, funeſti errores; non impingimus amplius, in tot Divinæ providentiæ abſtruſa adminicula, nec olim agentur inanes de phyſico malo querelæ atque calumniæ, ſed Deo mitiſſimo vindice nodumque ſolvente, bonitati ejus & ſapientiæ per vaſtiſſimam naturæ ſcientiam confirmandæ tuto acquieſcere licet. Teſtatur hoc & vere Philoſophico inculcat modo ſublimis commentatio LEIBNITII (in *Theodicea*) KING (*the origin of evil*) JERUSALEM *Betr. T. I C. IV.* cet. ad quorum ſcripta nos brevitati ſtudentes ablegamus.

Ceterum quod ad Divinam naturam infinitam, Sacris revelatam Pandectis, attinet, nemo hanc veritatis patefaciendæ œconomiam a naturæ ordine & mentis indole alienam putabit. Qui myſteria in Phyſico orbe ubique ſere invenit, iſne difficilius permovebitur, ut in Deo arcana agnoſcat, aut oſcitanter myſteria fidei & quæcumque ipſe complecti non poſſit, inimica eſſe rationi judicabit? Verum ipta rei natura & revelationis conſilium

ſatis

fatis superque indicat, Deum infinitum, incomprehensibilem, a finitis mentibus non posse dijudicari, quia supra omnia elatus est, eundem tamen immutabilem esse, ut principiis quæ per universam naturam stabilivit, non repugnet. Arroganter vero a finita nostra & limitibus circumsepta naturali cognitione, ad denegandum mysterium Divinæ naturæ devolveretur, atque longe indignius est, repugnantias in tam sublimi arcano fingere velle a).

Manifestum itaque esse putamus, humanum intellectum feliciter collustrari revelata hac doctrina scripturæ, qua edocetur, tria in Deo unico esse supposita aut subjecta, quæ nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti nobis manifestata sunt, adeoque Summum Creatorem non modo paternæ cura in nos affectum esse, verum etiam, cum essentiam suam intime communicatam habeat cum Filio & Spiritu Sancto, multa beneficia in nos contulisse horum interveniente negotio. Admiremur in eo Divinam infinitam sapientiam, qua nostræ imbecillitati ita succurrere voluerit ut multiplex sentiri possit benignitatis effectus. *Ceterum solatium haud leve fuit hoc loco vel e persuasione, Jesum, a quo salutis nostræ origines repetimus, ac Spiritum Sanctum, salutaris veritatis auctorem, frui societate Divina Doed.* Cautiones verò, quibus in hac doctrina utendum sit, rite dudum & Antiquiores & Recentiores attulerunt. Id unice pro nostro consilio observamus, analogiam hæc, ut in aliis supernaturalibus rebus, quamquam non nimis premedandam, tamen haud contemnendi esse, saltim ad adversariorum retundenda tela & prudentiam inculcandam, usus. Commode certe non utuntur imaginibus

a) Objectiones unitariorum eleganter diluit SEILER in libro; *ueber die Gottheit Christi.*

nibus ex natura rerum petitis, qui ex trianguli lateribus & reflexo lumine speculi cujusdam, vel solis radiantis, aut flumine e. l. p. aut conspectu pyramidis trigonæ (ut Seiler p. 106) ex triplici puncto, ad Divinam communionem internam colligunt. Sed vicissim peccant contra naturam, qui negant in infinito & unico Deo triplicem subsistendi modum, quum tamen probe conscii debeant esse, infinitam Dei naturam longe sublimiorem esse captu humano atque propterea Revelationi fidendum esse, utpote unico sanctissimoque Divinam majestatem cognoscendi principio. Qui enim per experientiam edocemur, variis modis nos posse facultates nostras cum aliis communicare, & operandi modum exferere, facile largiamur necesse est, infinitum illud ens, quod vitam & vires omnibus per universam naturam subministravit, & continuo sustentat, quandam voluisse sui ipsius dare ideam, atque hominum succurrere infantili ingenio, non modo ita, ut unitatem suæ essentiæ, verum etiam æternam subsistendi rationem patefaceret. Immo maxima cum veneratione mirabilem recolamus Dei providentiam, qua imaginem sui alias nunquam pernoscenti, adesse voluerit in Christo Servatore, quem ut in terris dudum conspiciere potuere pii ejus cultores, ita longe perfectius beata in immortalitate eum videbunt, ejusque familiaritate fruuntur pii omnes. Cfr BUTLER, *Bestät. d. Geoff. Rel.*